

Rindenbildung und Färbung durch die kürzeren, dichten, büschelförmig gedrängten Nadeln, endlich durch die etwas kleineren, weit harzreicheren und schwarzgrün gefärbten Zapfen unterscheiden lässt.

Wien, den 14. November 1864.



## Descriptiones salicum novarum florate tirolensis et helveticae.

Auctore A. Kerner.

**4. *Salix fruticulosa* (*arbuscula*  $\times$  *grandifolia*)**. — Fruticulus humilis ramosissimus, trunco erecto. Ramuli erecti, dum sunt herbacei puberuli, annotini lignefacti autem glaberrimi, cortice olivaceo opaco tecti. Gemmae ovatae, aestate puberulae, per hiemem denique glabratae. Folia petiolata, obovato-lanceolata, acutiuscula, supra medium latissima, basin versus sensim angustata, bis-ter longiora quam latiora, toto ambitu crenulato-serrata, discoloria, supra viridia subnitida, subtus opaca glaucescentia, enascentia sericeopilosa, adulta plus minusve glabrata, plerumque supra glaberrima, subtus in nervis pilosa. Nervi secundarii ad marginem decurrentes utroque latere 12—16, pallidi, approximati, sub angulis 50—60° orientes, in pagina foliorum inferiori elevati et cum venulis anastomoticis secundae et tertiae ordinis eximie elevatis reticulum elegantissimum constituentes, in pagina foliorum superiori lineis impressis significati. Stipulae nullae. Amenta coactanea, ovato-oblonga, densiflora, bis longiora quam latiora, pedunculata. Pedunculus brevissimus, foliolis 3—4 oblongis sericeis instructus. Squamae lanceolatae acutae, villosae, in basi pallidæ, versus apicem ferrugineæ vel purpurascentes. Glandula tori oblonga truncata. Stamina duo, filamentis glabris.

Fruticulus 30—60 Centim. alt. Folia 24—60<sup>mm</sup> long. 12—30<sup>mm</sup> lat. Amenta staminigera 15—25<sup>mm</sup> long. 10—20<sup>mm</sup> lat. Squamae 1·5—2<sup>mm</sup> long. Stam. 6—7<sup>mm</sup> long.

Habitum *Salicis arbusculae* refert. Folia autem obovata, in pagina inferiori reticulum elevatum elegantissimum *Salicis grandifoliae* praebent et in pagina superiori lineis impressis significatae sunt.

Plantam staminigeram in parte septentrionali montis Platten prope Achenkirchen in Tiroli sept. solo calcareo alt. 5000 hexap. socialiter cum *S. grandifolia* et *S. arbuscula* crescentem inveni. Eandem plantam auctummo 1863 in valle Dux solo schistaceo alt. 6000 hexap. et iterum auctummo 1864 in alpe Kögel infra Achensee et Steinberg solo calcareo alt. 4000 hexap. legi.

**5. *Salix Cotteti*** Lager in lit. ad A. Kerner. (*retusa*  $\times$  *nigricans*) — Fruticulus humilis trunco decumbente vel arcuato-descendente, ramulis erectis. Ramuli quam diu sunt herbacei albide

pilosae, annotini lignefacti glabrati et cortice rufescenti subnitido tecti. Gemmae ovatae obtusae pilosae. Folia petiolata, obovata obtusa vel acutiuscula, crenato - serrata, bis longiora quam latiora, emergentia utrinque subsericea, denique plus minusve glabrata et adulta solummodo in margine et subtus in nervo medio pilosa, concoloria, viridia, supra subnitida, subtus opaca. Nervi secundarii sub angulis 45° orientes et ad marginem arcuate decurrentes utroque latere 6—10, in pagina foliorum superiori et inferiori elevati et cum venulis anastomoticis subrectangularibus reticulum eximie conspicuum constituentes. Stipulae nullae vel minimae oblongae. Amenta pistilligera coactanea, laxiflora, ter longiora quam latiora pedunculata. Pedunculus sicut rhachis albide pilosus, foliolis 3—4 oblongo - obovatis obtusis subintegris vestitus. Squamae oblongo - obovatae, emarginatae vel truncatae, e viridi flavae, pilis sparsis longe pilosae. Torus flosculorum pistilligerum uniglandulosus. Glandula linearis. Germen ex ovata basi conicum obtusiusculum, glabrum vel apicem versus pilis sparsis rectis vestitum, pedicellatum, pedicello glandulam tori vix superante, stylo elongata, stigmatibus bipartitis, laciniis patulis crassiusculis.

Folia 15—30<sup>mm</sup> long. 8—16<sup>mm</sup> lat. Amenta pistilligera 15—20<sup>mm</sup> long. 5—7<sup>mm</sup> lat. Squamae 3<sup>mm</sup> long. Germen 2.5<sup>mm</sup> long. Pedicell. et glandula tori 1<sup>mm</sup> long.

Socialiter cum *S. nigricanti*, *S. retusa* et *S. hastata* crescentem in Crau dessus in pago Friburgensi Helvetiac invenit cl. Dr. Lagger et in memoriam amic. Cottet. *S. Cotteti* nominavit.

**6. *Salix alpigena* (*retusa* × *hastata*).** — Fruticulus humilimus trunco depresso, ramulis elongatis decumbentibus. Ramuli novelli dum sunt herbacei sicut gemmae novellae puberuli, rami lignefacti autem sicut gemmae hiemales glaberrimi et cortice rufescente nitido tecti. Folia oblongo - obovata, obtusa vel acutiuscula, petiolum versus angustata, toto ambitu remote serrata, enascentia in margine et in nervis subtus pilis sparsis ciliata, adulta autem glaberrima, discoloria, supra saturate viridia subnitida, subtus opaca et leviter glaucescentia. Nervi secundarii sub angulis 45° orientes et arcuate in marginem decurrentes utroque latere 7—11, tenues, filiformes, in pagina foliorum superiori et inferiori elevati. Venulae anastomoticae tenuissimae subobsoletae. Stipulae nullae. Amenta coactanea cylindrica, laxiflora, pistilligera ter — quater longiora quam latiora, pedunculata. Pedunculus sicut rhachis amenti pilosus, foliolis 3—4 obovato - oblongis crenato - serratis vel subintegris instructus. Squamae oblongo - obovatae, truncatae vel retusae, pilis rectis albidis longe pilosae, discolores, in basi e viridi flavae, apicem versus purpurascentes vel rufescentes. Glandula tori oblongo - linearis, truncata. Stamina duo. Germen ex ovata basi conicum acutum, glabrum, pedicellatum, pedicello glandulam tori aequante vel vix superante, stylo crassiusculo elongato, stigmatibus bipartitis, laciniis patulis crassiusculis.

Fruticulus 2—4 centim. alt. Folia 18—45<sup>mm</sup> long. 8—20<sup>mm</sup> lat. Amenta pistillig. 15—25<sup>mm</sup> long. 5—8<sup>mm</sup> lat. Amenta staminig.

10—20<sup>mm</sup> long. 6—10<sup>mm</sup> lat. Squamae 2—3<sup>mm</sup> long. Germen 2·5—3<sup>mm</sup> long. Pedicellus 1<sup>mm</sup> long. Stam. 5<sup>mm</sup> long.

Plantam staminigeram et pistilligeram cum parentibus: *S. retusa* et *S. hastata* in Tiroli sept. in alpe Längenthal supra Lisens solo schistaceo alt. 6500 hexap. anno 1863 inveni. Nuperrime (2. Aug. 1864) cl. Cottet eandem plantam pistilligeram in pago Friburgensi (Saday) Helvetiae legit secundum specimen a cl. Dr. Lagger Friburgensi mecum benevole communicatum.

Fornis duabus (Nr. 5 et 6) supra descriptis completur series salicum earum, quas pro hybridis ex *Salice retusa* et speciebus aliis alpinis habemus et quarum dispositio hic sequitur:

### I. Folia concoloria.

Folia integra vix longiora quam latiora

*S. retusoides* (*retusa* × *Jacquiniana*)

J. Kerner, Verh. d. zool.-botan. Ges. in Wien 1862.

Folia crenato-serrata, bis longiora quam latiora

*S. Cotteti* (*retusa* × *nigricans*)

Lagger in lit. ad Kerner.

### II. Folia discoloria.

1. Folia enascentia glaberrima.

Germen glabrum. Folia serrata, bis longiora quam latiora

*S. Fenzliana* (*retusa* × *glabra*)

A. Kerner, Niederöst. Weid. p. 73.

2. Folia enascentia plus minusve pilosa vel ciliata.

A) Folia bis longiora quam latiora.

Germen glabrum. Folia adulta glaberrima

*S. alpigena* (*retusa* × *hastata*)

A. Kerner.

Germen albide pilosum. Folia adulta in margine et in nervis subtus pilis sparsis rectis ciliata

*S. buxifolia* (*retusa* × *helvetica*)

Willd. in Herb. Schleicher.

B) Folia ter longiora quam latiora.

Germen albide pilosum. Folia adulta utrinque longe sericeo-pilosa

*S. elaeagnoides* (*retusa* × *glauca*)

Willd. in Herb. Schleicher.

*S. retusoides* hue usque in alpe Göller Austriae inf. (J. Kerner), *S. Cotteti* in pago Friburgensi Helvetiae (Lagger), *S. Fenzliana* in alpe Schneeberg Austriae inf. et in alpe Kaiser Tirol. sept. (A. Kerner), *S. alpigena* in alpibus tirolensis supra Lisens (Kerner) et in pago Friburgensi Helvetiae (Cottet), *S. buxifolia* in alpibus tirolensis in valle Alpein (A. Kerner) et in Helvetia (Schleicher), *S. elaeagnoides* in Helvetia (Schleicher) inventa est.



# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Österreichische Botanische Zeitschrift = Plant Systematics and Evolution](#)

Jahr/Year: 1864

Band/Volume: [014](#)

Autor(en)/Author(s): Kerner von Marilaun Anton Joseph

Artikel/Article: [Descriptiones salicum novarum florae tirolensis et helveticae. 368-370](#)